

## FEBRUARIUS

Die 3 Februarii

### Ss. Simeonis Senis et Annæ prophetissæ

*Ant. ad introitum*

Lc 2, 27-28

**C**um inducerent puerum Iesum parentes eius ut facerent secundum consuetudinem Legis pro eo, Simeon accepit eum in ulnas suas et benedixit Deum.

*Collecta*

Deus qui, beatorum Simeonis et Annæ expectationem implens, Unigenitum tuum, Salvatorem omnium, illis ostendere voluisti, concede nobis, quaesumus, ut, in occursum Domini procedentes, vitam obtineamus æternam.  
 Qui tecum.

LECTIO PRIOR

« Veni, Domine Iesu ! »

Lectio libri Apocalypsis beati Ioannis Apostoli 22. 12-13. 16-17. 20

« Ecce venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique sicut opus eius est. Ego Alpha et Omega, Primus et Novissimus, Principium et Finis. Ego Iesus misi angelum meum testificari vobis hæc super Ecclesiis. Ego sum Radix et Genus David, Stella splendida matutina ».

Et Spiritus et Sponsa dicunt : « Veni ! » Et qui audit dicat : « Veni ! ». Et qui sitit veniat, qui vult accipiat Aquam Vitæ gratis.

Dicit qui testimonium perhibet istorum : « Etiam, venio cito ». « Amen. Veni, Domine Iesu ! ».

Verbum Domini.

PSALMUS RESPONSORIUS ( propr. )

Lc 2, 29. 30-31. 32.

*R.* Senex puerum portabat; Puer autem senem regébat.

- 1 Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace. *R.*
- 2 Quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum. *R.*
- 3 Lumen ad revelationem gentium et gloriam plebis tuæ. *R.*

ALLELUIA

Lc 2, 32

*R.* Alleluia. Lumen ad revelationem gentium, et gloria plebis tuæ. *R.* Alleluia.

EVANGELIUM ( propr. )

« Viderunt oculi mei salutare tuum »

✠ Lectio sancti Evangelii secundum Lucam 2, 25-38

In illo tempore :

Ecce homo erat in Ierusalem, cui nomen Simeon, et homo iste iustus et timoratus, exspectans consolationem Israel, et Spiritus Sanctus erat super eum et responsum acceperat ab Spiritu Sancto non visurum se mortem nisi prius videret Chris-

tum Dómini. Et venit in Spíritu in templum. Et cum inducerent púerum Iesum paréntes eius ut fácerent secúndum consuetúdinem Legis pro eo, et ipse accépit eum in ulnas suas et benedíxit Deum et dixit: « Nunc dimíttis servum tuum, Dómine, secúndum verbum tuum in pace: quia vidérunt óculi mei salutáre tuum, quod parásti ante fáciem ómnium populórum, lumen ad revelatiónem géntium et glóriam plebis tuæ Israel ».

Et erat pater eius et mater mirántes super his quæ dicebantur de illo. Et benedíxit illis Simeon, et dixit ad Mariám matrem eius: « Ecce pósito est hic in ruínam et resurrectiÓnem multórum in Israel et in signum cui contradicétur—et tuam ipsíus ánimam pertránsiet gládus—ut reveléntur ex multis córdibus cogitatiÓnes ».

Et erat Anna prophetissa, filia Phánuel, de tribu Aser; hæc procésserat in diébus multis, et víxerat cum viro suo annis septem a virginitáte sua. Et hæc vídua usque ad annos octogínta quáattuor quæ non discedébat de templo, ieiúniis et obsecratiÓnibus sérviens nocte ac die. Et hæc ipsa hora supervéniens confitebátur Deo et loquebátur de illo ómnibus qui exspectábant redemptiÓnem Ierúsalem.

Verbum Dómini.

### *Super oblata*

Gratum tibi sit, Dómine, quaésumus, munus in commemoratiÓne sanctórum Simeónis et Annæ oblátum, qui Unigénitum Filium tuum voluísti Agnum immaculátum tibi offerri pro salute mundi.  
Qui tecum.

### *Praefatio*

- ℣. Dóminus vobiscum.  
℟. Et cum spiritu tuo.  
℣. Sursum corda.  
℟. Habémus ad Dóminum.  
℣. Gratias agámus Dómino Deo nostro.  
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre, nos tibi semper et ubíque grátias ágere:  
Dómine, sancte Pater, omnipotens ætérne Deus:  
Quia coetérnus hódie in templo tuus Fílius præsentátus glória Israel et lumen géntium a Spíritu declarátur.  
Unde et nos, Salutári tuo in gáudiis occurréntes, cum Angelis et Sanctis te laudámus, sine fine dicéntes:  
Sanctus...

### *Ant. ad communionem*

Lc 2, 26

Respónsum accéperat Simeon ab Spíritu Sancto, non visúrum se mortem nisi prius vidéret Christum Dómini.

### *Post communionem*

Pérfice in nobis, quaésumus Dómine, grátiam tuam, qui iusti Simeónis et prophetissæ Annæ exspectatiÓnem implésti:  
ut sicut mortem non vidérunt priúsqvam Christum Dóminum vidére mereréntur, ita et nos per hæc mystéria Te cum eléctis tuis vidére mereámur.  
Per Christum.